

jus seculi in quæst. 89. charta enim nos movet, ut è diver-
ticulo ad viam redeamus.

§. XXXI. Sed attestante *Lorino in lib. 1. analyt. c. 8. q. 2.* dicunt nonnulli, quartam figuram non esse præmissarum transpositionem, neque modos indirectos, quos vocant Græci *refractus*; sed cum infertur quæsitum, ut quæsitum per præmissas, in quibus medium prædicatur de majore extremo, hoc est, de prædicato quæsiti & minori extremo subjicitur in minore propositione, ut si quæras, *an quædam substantia sit homo?* tunc in hac figurâ id ita probabitur: O. homo est animal. O. animal est substantia. E. Q. substantia est homo. At talis & ejusdem farinae illatio non est naturalis, supra quam sc. cogitatio nostra caderet, ceu loquitur & sentit *Averroës in Com. super cap. 12.* quod experimur nos ipsi in mente nostrâ, cum audimus has duas propositiones: O. homo est animal. O. animal est substantia, tunc planè nos non expectamus hanc illationem: Ergo, Q. Substantia est homo, sed aliam: Ergo. O. homo est Substantia; Et idcirco nunquam audimus naturaliter differentes, & solo naturæ instructu ductos tales quartæ figuræ Syllogismos formare. Hinc rectè dixit *Zabarella l. c. cap. 11. Medici non viderunt quartam figuram neq; cum primâ, neq; cum aliis duabus esse conferendam, quia neque illationem facit evidentissimè naturalem, ut prima: neq; potestate evidentem & naturalem, ut alia dua: sed in altero extremo constituta, à naturâ remotissima est & ei penitus adversatur: Quocirca jure vocatur ab Averroë artificiosa, & ex machinatione concludens, & nihil habens illationis naturalis.*

§. XXXII. Quando autem Averroës Syllogismos quartæ figuræ appellat innaturales, non est existimandum, Averroem idcirco quartam figuram dicere innaturalem, quia habet non rarò propositiones non naturales, quales

D 2

sunt,